

SCRIBONIVS LARGVS

X p. I, opii X p. II, aloes X p. II, acaciae X p. III, myrthae bacarum nigrarum X p. XVI, ovorum ex aceto coctorum vitelli duo. haec trita vino Surrentino consparguntur et fiunt pastilli pondere X I. dantur febricitantibus ex aquae cyathis quattuor, sine febre ex musti Surrentini cyathis duobus.

CXVI. Ad ileon, quod vitium est inflatio tenuium intestinorum, facit bene galbani pondus victoriati; devoratur in pilulas divisum duas vel tres. movet et ructum et interdum deicit ventum deorsum atque ita prodest.

CXVII. Ad idem vitium mirifice prodest hoc medicamentum; facit autem ad lateris dolorem et ad omnem partem corporis: dauci seminis, panacis radicis, castorei paria pondera, rutae silvaticae dimidium; tritis vel contusis mel decoctum adipere oportet, inde dare X p. I aut victoriati ex aquae calidae cyathis tribus.

CXVIII. Facit et ad huiusmodi per anum immissum fenum graecum; id aqua oportet bene coquere atque inde sumere heminam; item in oleo domestico incoquere rutam quam plurimam et hinc caldam heminam adipere priori aquae, quibus utrisque admiscere aphronitri triti sescunciam et ita per elysteria caldam immittere. hoc ego iam sterlus per os eicientem, quod signum mortiferum est, sanavi unguentarii cuiusdam servum. est autem vitium ileos periculosissimum et ideo inter praecipua refertur. quamobrem non utique cum magna fiducia ad hoc genus vitii adgredi debemus.